

hypodorio, hypoiastio, hypophrygio, hypoæolio, & hypolydio in Parisiensium animis excitent; Dorio autem Iastio, Phrygio, Ælio, atque Lydio, prudentiæ, ceterarumque virtutum studium ingenerent; hyperdorio denique, hyperiastio, hyperphrygio, hyperæolio, & hyperlydio singulos promoueant ad rerum diuinarum contemplationem, atque desiderium, & rapiant in ecstasim cœlestibus dithyrambis. Nunquid iam aspicio Musicos nostros præ animi lætitia gestientes, quod Iubalem instauratum tanto Præsuli consecrare voluerim, cuius videlicet studio, atque prouidentiâ Musicorum Academia possit institui, quæ præsertim Dei gloriæ studeat, & habeat peritissimos viros, qui Metricam, Rhythmicam, & alia restituant, vel de nouo reperiant, quæ à nobis discussa perspexerint. Si facias, Reuerendissime Præsul, non hunc unum audies Archiepiscopatum, sed totam Galliam, quæ lætabunda grates rependet, & enarrabit tanti Archiepiscopi laudes meritissimas, vt sciat totus orbis terrarum, quantum successorem post patrum, & fratrem Cardinales illustrissimos Ludouicus XIII. Gallorum, & Nauarræorum Rex Christianissimus, atque inuictissimus nominarit. Ego verò duplici affectu venerationis pariter, & amoris publicæ lætitiæ particeps, & propensi in nostros animi tui conscius publico hoc testimonio prosequor tuam illustrem Dominationem, & humanitatem, qua & tui celeberrimi nominis autoritate nixa hæc commentaria in publicum prodeant, vt quem Prælaturum vigilantissimum, & dignissimum foeliciter nacta est, & sortita Lutetia Parisiorum, eundem *ἡμετέραν σωτηρίαν* ista patronum constanter habeant, cuius illustre nomen in fronte operis expositum authoris in te obseruantia erit argumentum, & optimum huiusce libri patrocinium.

Tui obseruantissimus. F. MARINVS
MERSENNVS ex ordine Minimorum
S. Francisci à Paula Minimus.